



CAROLO-FRANCISCO-FRIDERICO
MOMORANCIO
DUCI LUXEMBURGICO
NORMANNIÆ PROREGI
ROTOMAGUM ADVENTANTI.

H. J. 7. 55.

(29.)

O D E.



MÆSTIS Neustria fletibus
Tandem pone modum, desine lugubres

Instaurare sonos, novis

Dum latè resonant oppida plausibus.

Tristes ducere nœnias

Luctu in funereo tempus erat priûs,

Cum parçæ immeritum mori

Crudeles raperent quem gemuit ducem

Damno non reparabili

Amissum, assiduis Gallia planctibus

LUXEMBURGUM atavis parem.

Et te, sic decuit, Neustria cæteris

Compressit dolor arctius;

Sed nunc qui properat filius humidis

Absterget lachrymas genis

LUXEMBURGIADES, & tibi debitum

Præfens restituet patrem.

Jam raucus litui clangor, & æreo

Clarescunt sonitu tubæ;

Cives ipsa etiam Rotomagus parens

Portis omnibus obvios

Matres atque senes, & teneras nurus

Et mistos juvenum choros

Offert lætitiæ pignora publicæ.

O Sanguis MOMORANCIUS!

Heroum soboles, Neustriaci decus

Dulce & præsidium soli:

O votis toties Urbis & omnium

Exoptate fidelibus,

Tandem nostra subis mœnia, & anxiam

Fœlix Rotomagum tuo

Aspectu recreas. Audierat patri

Te pugnis comitem omnibus

Ignes per medios, difficiles manu

Maturasse vicariâ

Palmas, non humili pulvere sordidum;

Et densas generosius

Perfultantem acies innumeris caput

Objectasse periculis;

Hæc ante audierat, nunc oculis videt

Fatalem haud semel hostibus,

Et discrimina per martia nobilem

Centum funeribus manum.

Hinc plausu insolito plebs fremit undique,

Nec se jam capit impotens.

Et me pierio spiritus incitat

Major, plenâque numine

Majus plectra sonant, At tibi Belgicas

Lauros, & fera prælia,

Et fusi indecores Auriaci fugas

Quem Gallus premit insequens,

Magnorúmque graves exuvias ducum;
Heu tantum fineret dolor!

Signis exprimerent æra nitentibus,
Mansurusque diu lapis;

Quæ si Praxitelis digna laboribus
Non in marmore perleges,

Vivent in memori pectore civium:
Illic nobilis artifex

Virtutes referens & patris & tuas
Sacrà sculpsit amor manu,

Vivaci monumentum ære perennius.



JOAN. ANT. DU CERCEAU;
Societatis JESU.

